

nabilis, Conſiliarius, Deus fortis, Pater futuri ſæculi, Princeps pacis. Qua nominum majeſtate, ait, perterritos Septuaginta, veor non eſſe auſos de puero dicere, quod apertè Deus appellandus ſit. Addit (c), eos Præceptorum Eccleſiæ Chriſtianæ conſenſu prorsùs deſtitui in verſione Danielis, qui præferendam editionem Theodotionis, parùm emendatæ Septuaginta reputabant.

Tandem obſervat (d), Evangeliſtas &

Apoſtolos cùm ſententiam aliquam Scripturæ laudant, ſi nihil eſt inter Hebræam & Septuaginta diſcriminis, plerumque ſcila verba ipſa Septuaginta referre vel ſenſum; ſi quæ autem eſt inter utrumque diſcrepancia, tum Hebræam præferre. Claudit hæc omnia tandem: *Emuli noſtri doceant aſſumpta aliqua de Septuaginta teſtimonia, qua non ſint in Hebræorum literis, & ſi ſiſta contentio eſt.*

In Daniel. 4. pag. 1088. nov. edit. & Apolog. contra Ruſin. l. 2. pag. 43. Quorundam (Septuaginta) ſi in iſto libro editionem dixi multum à veritate diſtare, & recto Eccleſiarum Chriſti iudicio reprobatum, non eſt mea culpa, qui dixi, ſed eorum qui legunt. d. In Iſai. 1. 15. Proem. & Apolog. 2. contra Ruſin.

DISSERTATIO IN VULGATAM.

Vulgata ſeu Editionis Vulgatæ, aut Vulgata Latina nomine deſignamus Latinum Bibliorum Textum, quem Concilii Tridentini oraculum declaravit authenticum, & cuius eſt apud nos in ſcribendis Libris & concionibus ad populum habendis uſus: uno verbo, Verſio eſt omnium familiariffima in omnibus Romanæ Communionis Eccleſiis, quæ Latinorum Officium ſequuntur.

Cùm Libri omnes utriuſque Teſtamenti Hebræicè vel Græcè ſcripti fuerint, brevè factum eſt, ut propagatâ, vel coaleſcente primùm Chriſtianâ Religionè, quo tempore Romanorum Imperium, cui Latinus ſermo maxime omnium vernaculus, ſuperiora obtinebat, brevi, inquam, factum eſt, ut ſacri Libri maximum Religionis noſtræ momentum Latinis literis traderentur. Eſt enim Græcæ linguæ uſus familiariffimus Provinciis Romanæ ditionis pariter habebatur, nec Romæ eſſet extraneus, plures nihilominus in iis regionibus occurrebant, apud quos præter Latinum idioma ignota omnia, ut eorum ignorantia novâ in Latinum Sacrorum Bibliorum Verſione ſuccurrendum fuerit.

Sed quando, & à quo Verſio illa? Id ſanè nunquam exactè deſignetur. Judæi, frequentiffimi licèt Romæ & in Italia ante inveſtam Chriſtianam Religionem verſantes, nunquam tamen commiſerunt, ut Latinam Veteris Teſtamenti Verſionem traderent; vel ſaltem nullo argumento tradidiſſe demonſtrarentur. Primi igitur, quos noverimus, Authores Opus ſuum è Græco expreſſerunt; cùm interim Judæus aliquis interpres ex Hebræo duxiſſet. Ad hæc, Judæi omnes, cùm è Græcia & Oriente veniſſent, & unâ ſecum Græcæ linguæ uſum retuliſſent, erat enim poſt victorias Alexandri Magni Græcæ linguæ uſus in Oriente familiaris; quid habuiſſent opus Latinâ aliquâ Verſione? Porro illi tum familiaribus, cùm domeſticis ſermonibus Græcè loquebantur, quemadmodum hodie uſque apud illos obtinet, ut domi-

ſaltem, & cum ſuis ſermonem retineant earum regionum, unde venerunt, familiaritatem. Quare ſi minùs poterant Hebræicas Scripturas legere, Græcas ſaltem non habebant impervias; ut nihil illis opus fuiſſet Latinâ alicujus Verſionis. Valet etiam in eam rem inſtitum Judæorum ingenium, qui communicare exteris Divinas Scripturas reſergerent, veriti ne nota aliqua majeſtati & dignitati Divinorum oraculorum irrogaretur, ſi Verſiones faciliè multiplicarentur. Quid non obmurmurarent Judæi hebræizantes in Græcam Verſionem? Nec ſanè niſi plena diſcriminis res eſt, ſi tanti momenti Libri vulgariis manibus permittantur: quanta quanta enim ſit Interpretis fides, ſemper tamen aliquid ab Originali deſicit.

Verùm Apoſtoli eorumque Diſcipuli, alterius Spiritûs ductum ſecuti, cùm ſummâ tenerentur quidem in Libros Sacros veneratione, ſed zelo pariter propagandi veram Religionem arderent, non in eo tantùm operam contulerunt ſuam, ut Jeſum Chriſtum annuntiarent, ſed hoc maxime ſtuderunt, ut traditis vulgari linguæ Divinis Scripturis, veritatem magis magiſque promoverent. Hinc inundans ille Verſionum Latinarum torrens in prioribus Eccleſiæ ſæculis: *Qui enim, ait S. Auguſtinus de Doctr. Chriſt. l. 2. c. 11. n. 16. Scripturas ex Hebræa lingua in Græcam verterunt, numerari poſſunt, Latini autem Interpretes nullo modo.*

Ut enim cuique, proſequitur vir idem Sanctus, primis fidei temporibus in manus venit Codex Græcus, & aliquantulum facultatis ſibi utriuſque lingua habere videbatur, auſus eſt interpretari. Nunquam atate illâ ſuccurrit, ut ex Hebræico fonte pro Veteri Teſtamento potarent; minùs enim Hebræum vel Judæi ipſi callebant; minùs etiam indigere ſe Originali perſuadebantur veteres illi Fideles, quibus ad manus erat Verſio Septuaginta, Apoſtolorum uſu & autoritate Synagogarum totius mundi, Palæſtinæ etiam & Jeruſalem probata, Ex hæc Septuaginta Interpre-

Auguſt. l. 28. de Civit. c. 43.

tatione etiam in Latinam Linguam interpretatum eſt, quod Eccleſia Latina tenent (a). Hac Verſionum totidem Authorum multitudine per omnes latè regiones Latini ſermonis inundante factum eſt, ut ad promovendam veræ Religionis cauſam multum id eſſet adjumenti. Quæ enim antea intrâ anguſtos tantummodò Judæicæ Religionis limites continebatur, veritas per omnes latè gentes diſſuſa eſt. Sed commodum illud non minori incommodo repenſatum; cùm multitudine Verſionum & Exemplarium, plura glifcerent in Sacris Libris menda, Amanuenſium oſcitantia, & audaciâ Scriptorum inducã. *Cum apud Latinos, ait S. Hieronymus Præfat. in Joſue, tot ſint Exemplaria ſerè quot Codices, & unusquisque pro arbitrio ſuo vel addiderit, vel ſubtraxerit, quod ei viſum eſt.*

Sed inter affluentia ejus generis Scripta, ſemper tamen ſingularis unius Verſionis ubique obtinentis autoritas præſtabat. Hanc Veteres diſtinguebant nomine Italica, vel Itale (b), Communis [c], & Vulgatæ (d), & quæ deinde, poſt inducã à S. Hieronymo novam ex Hebræo Verſionem, *Vetus* appellata eſt (e). Porro Itala hæc Verſio è Græco adornata, inter cæteras Verborum erat tenacior, cum *perſpicuitate ſententiæ.*

b Auguſt. de Civit. l. 18. c. 15. c Hieronym. Epist. ad Pam. Mach. d Oroſ. Apolog. de liber. arbit. e Gregor. Magn. Præfat. in lib. Moral. in Job.

Quamquam autem hæc communi probaretur aſſenſu, & ad primum facile Eccleſiæ ſæculum pertinere, de genuino tamen ejus Authore nihil huc uſque exploratum eſt; certè quidem ſive Apoſtoli alicujus, ſive è prioribus illorum Diſcipulis conſupiam credimus. Nec niſi veriſimiliter perſuaderemur, plurium Scriptorum operâ totum illud Opus coaluiſſe, ut e. g. alius Hiſtoricos Libros, alius Pſalmos, & Libros Sapientiales verteret. De ſtili uniformitate iudicium tum maxime ferri poſteſt, ſi integra ea Verſio noſtrâ ætate reſtaret; ſed cùm nihil de illa, niſi Pſalmi, Libri Sapientiæ, & Eccleſiaſtici, ac errantia quadam fragmenta in Libris Patrum & in Mſ. nonnullis ſuperſint, vix tutum duceretur ex illis iudicium. Pſalmi in Latinis Bibliorum noſtrum Codicibus veterem. Vulgatam ſatis exactè non referunt; hanc enim ſemel & iterum, ad Pſalmos quod attinet, reſeruit S. Hieronymus, cujus correctionis portionem adoptavit Eccleſia, & in Pſalterio retinuit; reliqua cum veteri Italica congruant. Conſule Diſſertationem noſtram in Textum & Verſionem ſingulorum Pſalmodum.

Vetus Italica Pſalmodum Verſio manſit in Eccleſia Romana uſque ad Paulum V. qui Vulgatam ſubſtituit. Sed vetus Romanum Pſalterium perſeverat hodie uſque in Eccleſia Vaticana, & S. Marci Venetiarum. Quod canitur Pſalterium in Eccleſia Mediolanenſi nec Vulgatæ noſtræ, nec Veteri Italicæ congruit; ſed Verſio eſt alia, ad Romanam magis, quàm ad Vulgatam, accedens.

Manent etiam è veteri Vulgata Liber Sapientiæ, Eccleſiaſtici, gemini Macchabæorum, Prophetia Baruch, Epistoſa Jeremix, additamenta ad calcem Eſther,

ſicut etiam tertiumdecimum, & decimum quartum caput Danielis, Canticum trium puerorum, quod in Hebræo & Chaldæo deſideratur. Credimus autem non inviti, uni eidemque Authori deputandam Libri Sapientiæ & Eccleſiaſtici Verſionem; cujus rei non levis conjeſtura ducitur ex ſingularum verborum & phraſium utrinque aſſinitate: ita honeſtus uſurpatur pro divite, honeſtare pro ditare; *reſpectus* ſive *viſitatio*, eſt Dei ultio & pœna iniſta; *ſupervacuis*, noxius; *ſupervacuitas*, vanitas; *monſtra*, miracula; *interrogatio*, puniſio. Porro Author ille ita literæ inheret, ut verbo verbum reddat, ſermonis ornamentis & Latinæ linguæ cultu penitus neglectis. Ita nec genus nominum ſatis obſervat, ut in illo Sap. 7. *Spiritus Domini replevit orbem terrarum, & hoc quod continet omnia, ſcientiam habet vocis.* Poſquam enim Græcum *Pneuma*, quod neutri generis eſt, reddidiſſet Latine *Spiritus*, qui generis eſt maſculini, de Spiritu, tanquam ſi neutrius eſſet generis, ſermonem proſequitur. Author Verſionis Eccleſiaſtici plura inſerit in Textum, ſive gloſſas de ſuo additas malueris, ſive geminatas ejuſdem ſententiæ interpretationes, eo fortè conſilio adjeſtas, quod an unicâ verſione ſatis reddidiſſet ſenſum Textûs Originalis, ambigeret.

Ad novum Teſtamentum quod attinet, Verſio Italica ante S. Hieronymum obtinens quatuor Evangeliorum in Mſ. quodam Corbejenſi nobis occurrit; manca quidem in Evangelio S. Matthæi, cui uſque ad caput 12. omnia deſiderantur; in reliquis verò integra. Noſtræ defectum ſupplet Evangelium S. Matthæi ex eadem Verſione ad tria vetera Mſ. collatum, quod publici juris fecit R. P. D. Martyanus. Teſtator Lucas Bruſſenſis (f), in Mſ. Abbatix Malmedy ſupereſſe ejuſdem Verſionis Italicæ S. Pauli Epistoſas. Epistoſam S. Jacobi, & Tobiam pariter ac Judith vulgatas habemus ex editione P. Martyanæ; ex quibus veluti præluſis ſpes datur aliquando futurum, ut integrum antiquæ Vulgatæ Opus, vel ſaltem Novi Teſtamenti omnia teneamus.

In Libro quatuor Evangeliorum, cujus varias leſiones dedimus ad calcem noſtri Commentarii in Apocalypſim, plura occurrunt non levis ſanè momenti variantia, quæ pariter in vetuſtiſſimis Græcis Mſ. recurring. Ita e. g. Matth. 20. 28. legitur: *Vos autem quaritis de puſſilo creſcere, & de majore minores eſſe; intrantes autem & rogati ad cœnam, nolite recumbere eminentioribus locis, ne forte clarior te ſuperveniat, & accedens qui te vocavit ad cœnam, dicat tibi: Adhuc deorſum accide, & confundaris. Si autem in loco inferiore recubueris, & ſuper venerit humilior te, dicit tibi qui te vocavit ad cœnam: Accede adhuc ſuperius; & erit hoc tibi utilius.* Poſt S. Matthæum ſuccedit Evangelium S. Joannis, ubi variantia non levis momenti; e. g. diſcrepat hiſtoria mulieris adulteræ, in verbis tamen, quanquam reipſâ congruit: cap. 21. 22. legit: *Si ſic volo eum manere donec venio, quid ad te?*...

f Præfat. in Annot. Bibl. t. 4. par. 2. pag. 32. col. 2. nov. edit.

23... Sed volo manere donec veniam, quid ad te? Excipit Evangelium S. Joannis S. Lucas vel Lucanus, ita enim Mf. Inter variantia plurima animadversione pariter dignum est illud duorum Discipulorum. iter habentium ad vicum 60. stadiis à Jerusaleme (g); alterius nomen exprimit Cleopham alterius Emmaum; quod pagi nomen viro collatum Amanuentium incuria videtur. Fateamur tamen oportet hanc lectionem vetustissimam esse, quippe quam sequitur non semel in suis Operibus S. Ambrosius (h).

Luc. 24. 13.

h Ambros.

Apolog. David l. 2. c. 8. p. 513. in Lucam 12. pag. 148. in Symbol. c. 29. de tempore serm. 19. pag. 15. C.

Veteris hujus Vulgatæ stilus impolitus est maxime, nec eam præferret eloquii Latini puritatem sæculis illis, quibus adornata creditur, peculiarem; unde quorundam suspicio, recentiorem esse quam vulgò creditur. Sed incompti hujus sermonis gemina afferri potest ratio: 1. Simplicitas, & si fas est dicere, barbaries Originalium, quæ Latino sermone exprimebantur; etsi enim Hebraica Originalia e. g. totam referant auri sermonis elegantiam, inconditam tamen referunt barbariem, ex quo ad literam in Græcum sive Latinum transformantur: quod enim eleganti Latino sermone elegans aliquid scriptum reddatur, & genius & phrasæ omnes deserendæ sunt. Hanc verò sibi libertatem nunquam sibi permissam censuit Sacrorum Librorum Interpres, nefas esse ratus, si ut aures delicatiorum mulceret, veritatem interpretationis suæ fideique in discrimen revocaret.

2. Temnebant pariter Apostoli, & primi eorum Discipuli omnem humanæ sapientiæ & eloquii pompam; ex quo factum, ut pedestrem illi & vulgarem stilum præferrent. S. Paulus, cujus sponte fluens, & nullâ arte exculta eloquentia, omnium in se admirationem convertit; etsi posset ingenii sui præstantiâ primas tenere, qua in eloquentia, qua in granditate conceptuum, cavisse se tamen profiteretur, ne in prædicatione Evangelii veritatem traderet in sapientiâ verbis, ut non evocaretur crux Christi; ne scilicet eloquentia pellectu, & non potius crucis virtute traxisse ad se auditores crederetur (i).

i 1. Cor. 1. 17. &c.

Addit, Deum in Ecclesiæ suæ constitutione stultam fecisse sapientiam hujus mundi; nam placuit Deo per stultitiam prædicationis salvos facere credentes. Quia quod stultum est Dei, sapientius est hominibus. Addit: Stultia mundi elegit Deus, ut confundat sapientes; & infirma elegit Deus, ut confundat fortia, & ignobilia mundi & contemptibilia elegit Deus, & ea quæ non sunt, ut ea quæ sunt, destrueret. Eodem animati Spiritu priores illi Fideles omnem humanæ eloquentiæ pompam & nimis affectatum verborum delectum perinde habuerunt, ac nihil. Qui enim in cæteris illorum omnibus obtinebat simplicitatis, paupertatis, demissi animi, & contemptus mundi spiritus, idem pariter referebatur in eloquio.

Apostoli plerumque è censu pauperum & rudium, quantum ad literas humanas

pertinet, selecti sunt; Discipuli item à Præceptoribus non dissimiles; & quantâ illi sapientiâ hanc sibi methodum in Versionem Librorum Sacrorum prætulissent, eventu monstrante intelligimus. Plus enim simplicitate suâ & eloquii ruditate reducendo ad fidem orbi ac persuadendis viris doctissimis valuerunt, quam si omni Philosophorum & Oratorum eloquentiâ perorarent. Sentimus nos etiam hucusque, quantum trahendis animis plus valeat simplex Scripturarum stilus, quam si eloquii & phrasum elegantia vestitus ad sui amorem invitaret.

D. Mille, qui 30. annorum studium contulit expendendo Textui & Versionibus Novi Testamenti, animadvertit, veterem Italicam non unius Interpretis opus fuisse, sed singulis Scripturis singulos ejus Libros debere. Afferit, Interpretem S. Matthæi ad servitum usque Textui inhesisse, ut non verbum tantum verbo redderet, sed & syntaxim ipsam, genus nempe, casum &c. Græci Textus retineret, ut illud: Si fuerit homini 100. oves (h), pro Si fuerint; & Dominantur eorum & principantur eorum; & Repleta sunt nuptiæ discumbentium (l). Non nubunt neque nubuntur (m); quæ omnia syntaxeos habenda sunt Græcè potius quam Latine.

k Matth. 18. 12.

l Matt. 22. 10. m Matth. 22. 30.

Porrò Scripserit iste, quicumque tandem fuerit, alius videtur ab Interprete S. Marci, qui posterior Græcam eandem vocem aliter reddit, & Latini paulò tenacior est. Interpres S. Matthæi reddit Græcum Νυμφωνος, Sponsi. S. Marci verò: Nuptiarum. Primus habet: Quid labores præstat? Alter. Quid molestis estis (n)? S. Matthæi Interpres legit: plantavit, S. Marci 12. 1. pertinavit. Barbara quadam illi obiicit D. Mille, ut: Accusabant eum multa, & Major horum aliud mandatum non est; & communicare, pro inquinare. Interpres S. Lucae adhuc pariter à geminis illis alter est, quænam eodem cum prioribus consilio & Textui serviat, & Latine Syntaxeos leges negligat sapissime. Reddit divorforium (o) quod Interpres S. Marci habet, Refugio; & amphora quod ille Laguna; & Multis passeribus differitis vos, quod Interpreti S. Matthæi est, Multorum passerum superponitis vos. Ad barbarismos quod attinet, observat: Caperunt ab una omnes se excusare [p]; & Illuminare his, qui in tenebris &c. & Nihil vos nocebit; & Vapularis multus.

n Marc. 14. 64.

o Luc. 22. 11.

p Luc. 14. 18.

D. Mille eadem censet de Interprete S. Joannis ac de Interprete S. Lucae, inhaesisse nimirum ad servitum usque Textui, delectum & elegantiam sermonis neglexisse; discrepasse autem à cæteris, quòd Græca verba aliter reddat.

Suspiciatur autem, Interpretem Actuum Apostolorum cum Interprete S. Lucae confundendum; respondet enim utrinque methodus & eorumdem verborum interpretatio, ac tandem interpretandi studium idem. Majorem in scribendo diligentiam & exactiorem vertendi curam observat in Interprete Epistolarum S. Pauli; cum tamen eâ ætate: nulla esset in Græcis Scri-

ptu.

pturis accentuum & punctorum ratio; ex quo facile in errorem Interpretes adducti sunt, quos accurata accentuum & punctorum methodus indicasset. Desuisse credit omnia, ingenium scilicet, & exactè scribendi diligentiam, ac tandem Græci Exemplaris accuratam Scripturam Interpreti Epistolæ ad Colossenses. Nec minora exprobrat Interpreti Epistolarum ad Titum & Timotheum, quem Textui suo non semper inhaesisse accusat, & aliquando sensum potius quam verba reddidisse. Alter est ab his omnibus Author Versionis Epistolæ ad Hebræos, quanquam non aliis ab illis characteribus distinctus; Textui nempe ad religionem usque serviens, Syntaxeos negligens, & eloquii nitorem sanè non affectans. Vicissim autem summis laudibus celebrat Apocalypsis Interpretem, veluti exactissimum, & Textui summâ fide inhaerentem.

Quæ S. Hieronymo sub exitu quarti sæculi nove instituendæ Versionis consilium ingessit, alia sanè fuit ratio, quam Latinae Versionis pedestris & barbarus stilus; ipse enim S. Doctor certè nec selectui verborum studuit, id unicè spectans, ut sensum Textus exactissimè redderet. Ita ipse eadè re pluribus in locis. (q) Ut igitur id susceperet laboris, plurium Scripturæ scientiâ insignium Virorum precibus indutus est; quorum pariter auctoritati id ponderis accessit ad persuadendum, quòd Exemplaria Latina plerumque manca essent, & corrupta, ut sensum & spiritum Originalis rarè admodum exprimerent. Versio- num parùm inter se coherentium multitudus, & eorum audacia, qui cum recensentes iterum sacros Libros susceperunt, addere & mutare plurima (r) ausi sunt, tantam in Exemplaria tum confusionem tum corruptelam induxit, ut huic malo tandem occurrendum viris quibusdam in Ecclesiâ amplissimis videretur.

q Præfat. in Chronic. Euseb. Vide & in cap. 40. Ezech.

r Hieron. Præfat. in Paralip. Item Præfat. in Esdr. in Job in Josue.

s Vide Hieron. ad Chromat. Præfat. in Paralip. & ad Sophron. Præfat. in Psal. Præfat. in Isai.

conferret, tantum singulis vicibus vertebat, quantum amici precario impetrassent; quare nec continuo labore opus suum absolvit, nec à prioribus Scripturæ Libris exorsus est. Primum omnium suscepit correctionem Psalterii ad Græcum; suscepit autem Romæ versans sub Damaso Pontifice circa, annum 382. 383. Cum verò pristina recitandorum Psalmorum juxta veterem lectionem habitudo supra novam correctionem S. Hieronymi invalisset, nihil ferè ex ejus labore accessit commodi. Quare, rogantibus Paulâ & Eustochio, post aliquot annos cum Bethlechem moraretur, circa annum 389. opus iterum exorsus est. Quòd verò utilius illud redderet & correctius, obelis & astericis, ad imitationem Origenis, Versionem suam notavit, ut quid abundaret, quid deesset in Septuaginta supra Hebræum, indicaret. Porrò obelis designabatur, quid deesset in Hebræo; astericis, quid abundaret in Septuaginta. Huc Sancti Viri labori, quanquam par fructus non respondit, sua tamen fuit utilitas, quòd scilicet majoris momenti erratis Textus Psalmorum expurgaretur. Ex hac ejus correctione & Veteri Italicâ compingitur editio Vulgata Psalmorum, qui usque quotidiano cantantur, & in nostris Bibliis servati sunt. Verùm purus ille, qualis sublimâ S. Doctoris, Textus servatur tantummodo in vetustis quibusdam Mss. ex quibus editiones quadam adornata, nusquam verò in Bibliis.

Præter correctionem Psalterii ad novam Septuaginta, recensenda pariter dixit Proverbia Salomonis, Ecclesiastem, Canticum Canticorum, Librum Job, & Paralipomena; quos tantum Libros designare illum constat subinde, dum afferit, generationem correxisse se Textum Septuaginta (u). Sed ejus correctionem minus curamus in præsentia, quam Versionem Veteris Testamenti ex Hebræo, & Novi ex Græco; qui scilicet S. Viri labor sub Vulgatâ nomine innotescit.

Reddidit ille primò quatuor Libros Regum (x), quos appellamus; sive Libros Samuelis & Malachim, quemadmodum nuncupant Hebræi; rogantibus SS. Paula & Eustochio. 2. Vertit Librum Job, destinatum, quantum capimus, Marcellæ matronæ Romanæ. 3. Instantibus SS. Paulâ & Eustochio concessit majores & minores Prophetas, & aliquandù post Libros Esdræ. 4. Tradidit ex Hebræo Psalterium, quod Græcè vertendum commisit Sophronio. 5. Ad Hebræum expressit Libros Salomonis, scilicet Proverbia, Ecclesiastem, & Canticum Canticorum, urgentibus impellentibusque geminis Episcopis Helodoro & Chromatio. 6. Poscente Desiderio, ex amicis intimo, vertendos ex Hebræo suscepit Libros Pentateuchi; quod tamen Opus prolixum satis, non nisi pluries intermissum, tandem absolvit. 7. Eustochium obtinuit ab illo precariò Versionem Josue, Judicum, Ruth, & Esther. 8. Tandem Librorum Paralipomenon debemus Chromatium sollicitationibus: sicut hinc & inde

u Vide secundum Prolegomenon ad novam Editionem S. Hieronymi. x Vide Proleg. Galeat. in Libr. Regg. & R. P. D. Joan. Martian. Proleg. 11. in nov. edit. S. Hieronymi.

Exactum singularum Versionum tempus

D d d de.